



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Charitas patriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

culo Callirhoë, stuporêque attonita, in miserationem tam diri officii versa, ipsa quoque semet ad fontem, qui haud procul abest à portu Calydonis, furibunda jugulavit. Sic Cæcodæmon duplex nactus sacrificium, dum virginem petit, simul amatorem haurit, & gemina nece pulchrè sibi litatum ostendit. Scilicet ad aram Bacchi cadebat hic Sacerdos, à qua proximus est ad aram Veneris transitus.

II. (b) Iphigenia Virgo pudica & casta, ob Helenæ nefarii scorti noxam, sub ipsa belli auspicia, immeritâ morte occumbere debuit. Ferè ita fit, ut ob unius atque alterius cuiusdam portentosi flagitia, quandoque integerrimi homines plectantur, Poëta teste:

Dimittit corvos, vexat censura columbas.

Non rarò trahitur ad aram cædenda innocentia; & absolvitur scelus, hòc feliciter, quò vesanius. Exultat impius, premitur pius; & in aliena piacula, succedit victima, *Probitus*. Sapientis viri dictum est: *Paucorum culpa, multorum pœna*.

III. (c) Agamemnonem laudans Ovidius canit:

----- postquam pietatem publica causa,
Rexque patrem vicit, castumque datura cruorem,
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris:
Victa dea est, nubemque oculis objecit, & inter
Officium, turbamque sacri, vocesque precantum,
Supposita fertur mutasse Mycenida cervâ.

Charitas, quam pro officio suo reipublicæ debebat Rex, plus potuit, quàm amor, quem filix debebat pater. Sapienter. Propter patriam sua cuique nedum cuiusdam suorum, vita negligenda est. *Curtius* in profundam voraginem se cum equo immittens, vitam patriæ libertati posthabuit. *Genutius Cippus* Prætor, regno prætulit exilium: cum enim responsum accepisset, regem fore, si in urbem revertisset, voluntarium sibi exilium indixit. Duo *Decii* pro Reipubl. incolumitate se devoverunt, è quorum sanguine insperata victoria emerfit; vita illorum victoriæ oberat, mors fecit, ut vinceretur hostis. Inter laudanda exempla, *Codri* Atheniensium Regis est, qui interitu suo fecit, ne Athenæ perirent: Et *Themistoclis*, qui exceptum paterâ tauri sanguinem, institutò sacrificio, hausit, ne oppugnare, à qua exulabat, patriam Persici exercitus dux factus cogereetur. E sacris paginis habemus *Iephten*, qui unigenæ filix cæde, voti religionem exsolvit, & patriæ salutem peperit. Græcis, inquit, Flosculorum historicorum scriptor, facinus hoc placuit, qui Iphigeniam iisdem tempo-

A a a 3

ribus,


(b) *Innocens pro nocente plectitur.* (c) *Charitas patriæ.*

ribus, nimirum anno Mundi 2850. ab Agamemnone mactatam asserunt; ita Dæmone per omnia satagente ad Dei imitationem assurgere.

IV. (d) Quod si placeat etiam ex cerva Iphigeniæ supposita, doctrinam capere, possis hinc discere auxilium Dei rebus in arctis, tam opportunum, quam insperatum. Hinc David eum sæpius *Adjutorem & Protectorem in tribulatione*, seu in rebus adversis vocat. Proverbio dicitur: *Deus è machina*: quoties salus ex insperato ostenditur, & in summo discrimine, præter spem adest auxilium. Sumptum à consuetudine tragœdiarum, in quarum plerisque, deus aliquis machinis quibusdam improvisò ostendebatur è sublimi, qui res turbatas componeret. Ita Iphigeniæ, inter sacrum & saxum, inter cultrum & aram sacrificalem media, repenti succurrit Diana. Fabulosum hoc quidem; at veritas ex historia sacra enotescit. Solet enim Deus verus rebus in extremis constituto, & jam deposito ac conclamato subito manum porrigere, & opem ferre. Sic Abrahamo jam jam gladium in Isaacum suum vibranti, medium se genius è coelo delapsus interposuit & inter cervicem ferendi, ac ferientis brachium intervenit, victimamque simul ac sacerdotem promptæ voluntatis obsequio gloriosos, insperato gaudio affecit. Jobus hoc expertus, ait, cap. 11. *Quasi meridians fulgor consurget tibi ad vesperam: & cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*, id est, cum tibi adesse credideris diem ultimum, & solem occasum, tunc repenti lux meridiana felicitatis affulgebit, & mediis in tenebris jubar divinæ providentiæ orietur. Uti exorta est Susanna, quam nequissimorum senum calumnia, destinatum morti hostiam, repenti consurgens Daniel, etiamnum adolescens, periculo subtrahit. *Deum è machina* diceret; etsi ex alto non apparebat, sed ex turba populi subito coortus. Scilicet

Major agit Deus, atque opera ad majora reservat.

Ita legimus in historiis profanis, Virginem quandam Valeriam, ad averruncandam pestem, ex Oraculo immolandam Junoni fuisse, cum devolans aquila victimarium cultrum rapuit, eundemque buculæ juxta templum pascenti infixit. Caussin. in Symb. ex Aristide lib. 9.



(d) *Auxilium Dei subitum.*

SYM.